

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Ionnaes Fichardvs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

IOANNES FICHARDVS
Iurisconsultus.



*Ius Musis, Musas exorno iure vicissim:
Consilio prudens, eloquioque potens.*
M. D. XXCI.

IOANNES FICHARDVS PATR.
Francofurtanus natus auno M.D. XII;

Optimus & vir, & Iureconsultus;

Multâ doctrinâ, plurimo rerum vsu;

Sub Huldr. Zasio I C. doctore multis annis
Friburgi Brisg. in Iurisprudentiâ studio ver-
satus; & vnâ cum Ioan. Sichardo summum

Docturâ honorem consecutus;

Spiræ Nemetûm in Supremo imperij Ger-
manici tribunali aliquandiu feliciter
exercitatus;

Patavij demum, ac Bononiâ, cæterisque Italiæ
Academijs confirmatus plurimum;

Reipub. Syndicus in patria per annos

XLIV. clariss.

Multorum præterea Principum ac procerum
Imperij consiliarius sapientiss.

Plurimis non modò veterum Iurecos. Com-
mentarijs, sed & ingenij monumentis sui pul-
cerrimis, & Collectaneis utiliss. in publi-
cum editis nobilitatus;

Decus & ornamentum eorum, quibus cum
vixit, & patriæ, imò Germaniæ totius,
& seculi sui;

Functus vitâ decessit Francofurti ad Mœnum,
anno M. D. LXXXI. annum agens

LXX.

Hand Jacobo Norimb. dedit IN
et. 1602. ac hinc in 1603. f. 10.

IN IOANNEM FICHARDVM

Iuriscons.

IOAN. LAVTERBA. CHIL.

Iurisperitus æquitatis regula.

Quanta sit ingenij, Ficharde diserte, facultas:

Quanta sit innocuo vita pudore nitens:

Quæ virtus, cælum donans, pulcerrima rerum;

Hinc Themidis quantum Iustitiæq; decus:

Tot præclara tui referunt monumenta laboris;

Insignes morum tot super orbe notæ:

Facta tot humano quæ commendantur ab ore,

Arbitrij leges, consilijque tui:

Vt nullos famâ pereas Ficharde per annos:

Astra licet fato raptus ab orbe colas.

Fama tui viuat multos ut nominis annos,

Ingenium, virtus, vita, Themisq; facit.

FRANCISCI MODII.

Virtutis, Ficharde, tuæ mihi trans mare ad aures

Acciderat dudum fama, implet atq; videndi

Te desiderio ingenti, affandiq; sacerdos

Iustitiæ ò venerande: meis contraria votis

Quum mors florenti dignum gaudere senecta

Perpetuum, humanasq; vices nescire, piorum

Cætibus Elysiûm in campum, transmisit, ut illic

Iudicibus iunctus bis ius legesq; duobus

Defunctis dicas, ergo, quem cernere coràm

Tantoperè optabam, iubeam saluere necesse est.

Dum veniat mox illa dies, qua me quoque vitæ
Curricula emensum ancipitis prærupta, quietis
Addat: quod quoniam citius spe forsitan instat,
Paruo, care Deo, salue mihi tempore: iam te,
Aut certè mox, vt volui, Ficharde videbo.

E I V S D E M.

Audio, & est, ut ais: morietur, quicquid vbique
Est hominum: hac nati conditione sumus.
Nō tamē hinc sequitur, Fichardi in morte dolendū
Esse minùs: nostro hæc quòd data lex generi est.
Vulgari valeat medicina in funere talis:

Hæc mors eximium hoc, cur doleamus, habet:
Quòd cum Fichardo terras Astræa reliquit:
Quo viuente iterum illa antè colebat humum.

NICOLAI REVSNERI.

Quamuis Iane fores animi maturus, & cui:
O mihi perpetuâ culte Ficharde fide:
Te tamen immatura senem mors abstulit orbi:
Et lacrymas nobis sic gemitusq; dedit.
Nam neque te melior quisquã, nec amantior æqui,
Carior aut Musis vir fuit, atque Deo.
Assidet ergo Themis tumulo modo tristis amico:
Assidet huic Charitum Pieridumq; chorus:
Quem viuum pariter coluere, subinde requirunt:
Ac lugent cassum lumine, cum lacrymis,
Salue, care senex, salue: post tempora vitæ
Te Musæ, Charites, & Themis ipsa sacrant.